SCHEFFER

QUAESTIONUM PHILONIANARUM

238

QUAESTIONUM PHILONIANARUM

PARTICULA I,

SIVE

DE INGENIO MORIBUSQUE JUDAEORUM PER PTOLEMAEORUM SAECULA.

COMMENTATIO,

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

UILIELMUS SCHEFFER,

SEMINARII PHILIPPINI MAIOR.

Nullum N. T. interpretem Philonis Alexandrini libros legisse poenitebit: intacti enim adhuc in iis latent interpretandi thesauri.

ERNESTI.

MARBURGI

TYPIS BAYRHOFFERI ACAD. TYPOGRAPH.

MDCCCXXIX.

Bequest of
Convers Francis D.D.
of Cambridge.

VIRIS PARENTUM LOCO COLENDIS:

PATRUO OPTIMO,

ERNESTO SCHEFFER,

LEGIONIS EQUESTRIS HASSIACAE PRAEFECTO ATQUE DUCI, ORD. LEONIS AUREI HASSIACI DECURIONI PRIMAE CLASSIS, ADSCRIPTO ORDD: POUR LA VERTU MILITAIRE, GALEAE FERREAE, NEC NON ORD. MILITUM OPTIME MERITORUM AB AUGUSTISSIMO AC POTENTISSIMO BORUSSORUM REGE CONSTITUTO, ET

AVUNCULO DILECTISSIMO,

WOLRADO WIGAND,

MED. ET ART. OBSTET. DOCTORI, SERENISSIMO WALDECCIAE PRINCIPI AB AULAE CONSILIIS, AD AQUAS WILDUNGENSES MEDICO ET SALUBRITATIS PUBLICAE PHYSICI NOMINE PRAEPOSITO,

HOSCE STUDIORUM SUORUM FRUCTUS,

TENUE ANIMI PII GRATIQUE PIGNUS,

SACRUM VULT

AUCTOR.

Praefatio.

Quae grammatico-historica vulgo dicitur sacrae scripturae interpretatio, nostrae inprimis aetati tanquam verior jure probata, eam haud aliunde plus constat percipere posse incrementi, quam e libris, qui non ex eodem solum tempore eodemque fere loco profecti mutuam sibi adspergunt lucem, verum etiam rationum, sententiarum ac verborum similitudine quadam et quasi cognatione inter se continentur, sine partium studio consulendis. Saeculum istud, quo Ptolemaeorum in Aegypto regnum floruit, quod inter utriusque, et V. et N. T., codicis scriptionem interest, permulta sane suggerit Bibliorum interpreti, in quibus inquirendis ac dilucidandis, ut operam suam collocaverit et consumserit studiosissimus quisque, merito laudabitur. *Philonis Judaei* s. *Alexandrini* libris, qui diligenter ac sincere utitur, is dicendi generi in N. T. obvio tam bene consulet, quam fontem sacri codicis recte interpretandi recludet haud spernendum. Isti enim libri quum eodem tempore, quo Jesus Christus et

Apostoli et docendo et agendo novae religi(fundamenta jecere, sermone hellenistico consc1 sint, tum inter ipsam gentem, ex qua doctr religionis, quam nos profitemur, auctor n: perhibetur. Quare haud exiguus profecto cern connexus inter N. T. et Philonis libros, qui, distinctius eruetur atque explicabitur, eo gra apparebit perscrutanti cuique prima circa reli nem christianam tempora. Jam noster ille Ph ut Judaeorum genti, eique per Aegyptum dispe1 facile princeps adscriptus, vigebat Alexandri artium optimarum tum sede haud postrema, excellebat et ipse literarum ac disciplinae stu(Nobili loco natus inde a teneris in patrum religi summa cura ac diligentia informatus, ubi ex ae1 puerili excessit, nec ullum vitae tempus a gra(rum literarum studiis abhorruisse videtur: unde i rum amplissima et accurrata cognitio, egregia quisitaque linguae scientia et graece scribendi (gantia. Acerrimus atque strenuus fidei Mosai vindex liberius impugnabat Philo falsas, quae (cumferebantur, de ea opiniones non minus, quam minum pravitatem, quae funestum tanquam c(tagium saeculum istud pervaserat. In rerum vinarum scientia acute inquirenda eximius, ve rum Philosophorum disciplina optime instruct1 in artibus, quae ad humanitatem pertinent, pr(versatus, uberius docet, quod agendum sit, Deo probemur, quod fugiendum. Quodsi vero h: sola lege mosaica fieri utique non poterant, t1 novam ac insolitam interpretandi rationem ad

ebat, cui quippe, quodcunque ex literarum fonte auserat, Philosophorum praeceptis, ingenii aniiique ubertate, copiose adspersit.

Quae quum ita sint, *Philonis Judaei* libri jure uo proferri possunt, non modo qui diligentius leantur, verum etiam cum sacro bibliorum codice ccuratius conferantur. Quam multa eadem literarum monimenta retractanti occurrent, quae bilia maxime attingunt. Quantus inter Philonis et I. T. libros connexus, sive sermonem ac dicendi enus, sive tempora et mores, sive hominum, qui epinguntur, rationes, studia et ingenia penitius espexeris. Quantopere Philonis scripta religionis hristianae, ut alia mittamus, incunabulis possunt ıservire illustrandis. Et vere jam exstitere, qui anc viam ingressi, lucem sacris literis affundere tuduerint quam saluberrimam, quorum e numero unt *I. B. Carpzovius*, *Loesner*, *Hornemann*, *Kuehn*, *H. Planck*, *Ch. Schreiter* al. qui, quod senerint, scriptis exhibitis satis manifestarunt. Quare pectabant modo rerum notiones, verborum vim, voes tropicas et enunciationes obscuriores tunc temoris haud inusitatas, modo cogitandi rationem, alsas opiniones et prave facta, in quae noster lle Philo pariter atque librorum sacrorum auctores unt invecti, modo interpretandi quoddam genus, ujus vestigia in N. T. scriptis deprehenduntur: robe enim tenentes, praeclaram religionis christiaıae indolem, quo diligentius agrum nos perlustraerimus, in quem semina doctrinae in aeternum olendae sint sparsa, eo clarius perspectum iri.

Fontibus primum *generalibus*, qui huc pertinentia, per libros passim sparsa, habent recondita, et ὡς ἐν παρόδῳ tradunt, adscribere licet, Polybii, quae supersunt, fragmenta, Strabonem, Diodorum Sic., Pausaniam, Dionem Cass., Appianum, Theocritum, Plutarchum, Athaeneum, Ciceronem, Livium, Tacitum, Senecam, Horatium, Juvenalem, Martialem, et, cui veniam expeto, Justinum, Eusebium in Chron. Can. nec non in Praep. Evang. *Specialibus* autem fontibus, de quibus nostra futura est disputatio, quum commentariorum plurimi ac graviores perierint, veluti *Ptolemaei Lagi, Eratosthenis, Aristobuli*, al., primo adnumerem *Hecataeum Abderitam* (1) et *Aristeam* (2). Horum, quae exstant, operum fragmenta, paucissima et manca reperimus in rebus exponendis, fidei prorsus dubiae, veris cum falsis mirum in modum mixtis. *Ille* quidem gentis judaicae historiam praesens conscribere conatus est, quum in eo esset, ut Judaeorum Alexandrinorum res, primis fundamentis jactis,

1) Historiae, quam conscribere voluit, *Hecat. Abd.* atque laudibus, quibuscum gentem judaicam satis superque exornavit, quam parva fides sit attribuenda, bene examinavit *J. G. Eichhorn* Allgem. Biblioth. d. bibl. Litterat. Tom. V. p. 431 sqq. Hecataei operis fragmenta nobis conservarunt Flav. Jos. cont. Apion. I. 21 sqq. II. 4. sqq. *Euseb.* praep. evang. IX, 4. *Pseudo-Aristeas* ap. Hodium de bibl. text. orig. cf. *Origines* cont. Celsum I. omnia, quae supersunt, fragmenta collecta edidit cum *Scaligeri* adn. *P. Zornius*. Alt. 1730. 4.

2) Joseph. Arch. XII. 2, 2 — 4.

paullatim augerentur, et revera, quod infitiari non possumus, maximi momenti foret auctor, dummodo fragmentis, quae supersunt, plura haberemus *integriora* et *certiora*, dummodo sine partium studio, exornationis, fraudis ac fallaciarum expers narrasset isque esset, ut paucis dicam, quem fuisse simularet: *hic* vero incertus plane et credulus adeo censetur ex iis, quae ad manus sunt, ut librorum ipsius interitu, nil nisi fabularum et ineptiarum perdidisse farraginem videamur. *Manethonis* sacerdotis illius, qui supersunt, libris fidem habere veritatis amor vetat, quum odio et furore quodam in Judaeos repletus, non sine partium studio res exposuerit. Et ipse (vivebat enim teste Syncello c. a. 280 ante Ch. n.) e tabulis Aegyptiorum publicis, quae in templis asservatae dicebantur, materiem hausit historiae scribendae eamque composuit. Sequatur deinceps *Flavius ipse Josephus*. Utinam omnis superstitionis, animi levitatis, rerum inanium, judicii pravi atque corrupti vacuus suspicione, cum grano salis antiquitatis dumeta, quatenus ad Judaeos pertinent, collustrans, fide fincera, accurate cogitateque referat! Isti vero, etsi perquam pauca, quae ad rem nostram attinent, in libris suis dederit, lubenter tamen aures animumque adhibebimus, quandoquidem plura desiderantur. Qua autem in re apprime est cavendum, ne temere fidem habeamus narrationibus in rerum certissimarum defectu avide arreptis. Ejusdem, quatenus huc inprimis pertinent, libros habes inscriptos: Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιο-

λογίας λόγοι | *υ′*, quibus sub undecimi demum finem ad rem nostram uti licuit, et: *ἀρχαιότητος ἰουδαίων κατὰ Ἀπίωνος λόγοι β′.* Deinde *Philo* noster *Judaeus* s. *Alexandrinus* (3), qui, quamvis historiam ex professo scribere detractaverit, tamen plus fidei in rerum narratione, prope jure suo, meretur, quam ipse Josephus. Hic illic Philo inseruit, quae Ptolemaeorum saeculis quodammodo illustrandis possunt inservire. Est enim in rebus sui temporis auctor sane haud contemnendus, verum etiamsi res antiquas, eo duce, mente repetis, gravissime saepe offenderis. Libri denique *Maccabaeorum alter* et *tertius* prae caeteris V. T. scriptis nobis sunt commemorandi. De his quoque libris, quum in fontium defectu avide arrepti sint, et haud parum erroris in historiam inducendi ac stabiliendi ansam praebuerint, nonnulla mihi addenda videntur, et quid valeant quidve minus, accuratius definiendum. Rejectis illis, quales inter Erasm. Froelich, Ern. et Gottl. Wernsdorfium quondam fuere hac de re altercationibus, quorum ille non

---

3) *Philonis* Alex. operum edit. adornavit, notis et praefatione instruxit *Thom. Mangey*. Lond. 1742. II. Tom. Fol. Quae quidem editio ob cdd. mss. copiam, quos consulere licuit auctori, plenissima, tamen, quoniam is ipse scientia linguae graecae carebat sufficienti eaque exquisita, non pauca in ea desiderantur. Equidem usus sum edit. Francf. a *Sig. Gelenio* exhibita. Francf. 1691. I. Tom. Fol. et ea, quam edendam curavit *A. F. Pfeiffer*. Erlang. 1785. cf. Fabric. bibl. gr. ed. *Harles*. IV, 6., p. 724 sqq.

sine ira et studio, in commentt. serie nimium his libris vindicaverat auctoritatis, quam hi, ut invidiose eriperent atque exploderent, omnibus viribus enixi sunt, caute est agendum, ne in alterutra parte modum excedamus. Sententiae potius adstipulemur virorum, quales exstitere in his rebus definiendis *Hasse*, *Eichhorn*, *Bertholdt*, *Jahn* al., qui in singulis licet dissentientes, tamen in summa rei congruunt, mediamque viam non modo demonstrarunt et suaserunt, verum etiam tenuerunt (4).

Sed quum neque auctor neque tempus, quo *alter* Maccabaeorum liber prodierit, certissime indicari possit, operis saltem illius *Jasonis Cyrenaici* epitomator, quod e graeco dicendi genere potest colligi, Judaeus quidam Alexandrinus fuisse videtur, qui Ptolemaeorum saeculo vixerit. Quodsi hanc rem respexeris, opus certe declarabis minime spernendum. Attamen parum pretii huic libro concesserim, ratione habita seu partis prioris (cap. I, 1 — c. II, 18) seu posterioris (cap. II, 18 — c. XV, 39). Posteriori hac parte, quae ad rem

4) Das andere Buch d. Maccab. neu übers. mit Anm. u. Unters. v. I. G. *Hasse*. Jena 1786. cf. Unt. 6. p. 286. sq. Einl. in d. apocry. Schriften d. A. T. von *J. G. Eichhorn*. Lpzg 1795. p. 249. sqq. Einl. in d. göttl. Bücher d. A. B. von *J. Jahn*. Wien 1803. 2 Aufl. Th. II. Absch. 3 et 4: von d. deuterocanonischen Schriften des A. B. p. 949 §. 256 sqq. *L. Bertholdt*. histor. krit. Einleitung in sämtl. canonische u. apocry. Schriften des. A. u. N. T. Erlang. 1813. Vol. III. §. 287. p. 1056. fg..

nostram plane non pertinet, omissa, binae priori illa continentur literae, quarum ope aliquid tempori nostro lucis possis afferre, propterea quod in aerae seleucidarum (מנין שטרות) annos 160 h. e. 143 a. Ch. et ej. aerae 188 h. e. 123 a. Ch. incidere perhibentur. Sed ad historiam indolemque Judaeorum Aegyptiorum illustrandam parvi sunt momenti; cohortantur enim Judaei Palaestinenses literis his missis Aegyptios, ut in posterum quoque concelebrent dies festos templi denuo consecrati. Interim adhibito acriori judicii acumine, ex argumentis et *externis* et *internis*, omni carere fide hoc documentum facile tibi persuasum habebis, adeo ut, si de nostris adminiculis agitur, plane non scriptus hic liber videatur (5). — Maccabaeorum libro, qui sub *tertii* nomine circumfertur, ne parva quidem illa auctoritas attribui recte potest. Nam argumenta obstant et *externa* et *interna*, quae, quantum valeant, nunc ipsum brevibus perscrutemur. Saeculo demum tertio p. Ch. n. exeunte innotuit patribus, neque reperitur in versione vulgata, quo factum est, ut nec Canoni bibliorum ecclesiae Romano-Catholicae approbato et Conc. Trident. (sess. III.) sancito, liber iste sit adscriptus, nec versioni usu receptae, quam viro *M. Luthero* nos debemus. Auctor vero, qui fuerit, quum non magis possit, quam scriptionis tempus indicari, eundem cum aliis, ipsius libri argumento nixis,

5) Praeter libros N. 4. laudatos cf. *C. G. Bretschneider* systemat. Darstellung d. Dogm. u. Moral d. Apocr. d. A. B. p. 232.

Judaeum Alexandr. declarare inclinat animus, eo conscribentem consilio, ut vetustatis vulgari fama consecratos μύθους literarum memoriae mandaret, quibus instituta quaedam jam pridem solennia, historia duce et adjutrice, insuper firmarentur. Hinc sequitur, res quidem non esse fictas, quae relatae, nescio quo pacto, Judaeis Alex. acciderint, tamen exornatas fabulorum copia, quin etiam refertas miraculis et prodigiis. Narrationum videlicet illarum, quas cum stupore quodam contemplamur, materiem (capp. I. II. III.) in tempora, quae nobis sunt tractanda incidere minime negaverim. Verumtamen *Bertholdtus*, qui cum aliis rem ita conversam voluit, ut reges agnoscerentur permutati, de Ptolem. Philopatore edicta ad Ptol. Physconem essent referenda, nec non ἀναχρονισμὸς statueretur (cf. l. l. §. 295 p. 1084) num recte judicaverit, id magnpoere addubito. Permutandi et auctoris et temporis causa illi fuisse videtur istud additamentum, quo instruxit *Rufinus* Flavii Josephi alterum cont. Apion. librum (cf. cap. V) ex graeca in linguam latinam translatum. Inde mutuum etiam nexum inter utrumque statuendum esse censet. Haec autem ab ipso allegata argumenta, dum *H. Grotii* ad Macc. III. prol. et *I. G. Eichhornii* l. l. p. 278. sqq. confirmare conatus est, num dubitationem excludant quamcunque, haud equidem scio. Lubenter nimirum mittamus Rufinum illum, cujus fidem historicam, non in ipsius laudem, viri docti nuper explanare studuerunt. Jam vero Bertholdtus, cum nequissimam et atrocissimam, quam de Ptol. Philopat. in tertio Maccab.

libro scriptam reperimus sentiendi agendique rationem, nec cum historia convenientem, indoli moribusque Philopatoris repugnantem intellexit, haud parum errasse videtur. Consulantur modo ea, quae de hac re fontes statuerint, (e. g. Plut. in Cleom. p. 1504. exc. H. Stephan.), et re ita explorata, judicium ac sententiam commutandam esse arbitror. Nonnulla quoque de libro apocrypho, qui sub „*libri Sapientiae*“ nomine huic collectioni adscriptus est, hic monenda sunt. Quamquam vero, neque auctor, neque tempus scriptionis certissime indicari potest, id tamen, seu praeclaram illam Sapientiae laudem, c. 1 — 11, 1, seu partem libri posteriorem c. 11 — 19. spectaveris, fit probabilius:

1) fuisse auctorem *Philosophum quendam judaicum*, qui prima eruditionis rudimenta ex Hebraeorum libris sacris animo imbiberit (cf. Sap. 2, 24 — c. 3, 3; c. 10. 11.; c. 14, 12 — 27; 16 — 19). Quae vero doctrinae principia, quum ad altiora in literis progredi excitatus fuerit, modo ipsis cum ideis *Emanationis*, divinarum illarum *eradiationum* להיר et אור יצא h. e. doctrinae, qua continua entium realium series a luce purissima egredi atque effluere perhibetur; modo cum *Cabbalisticae* traditionis sapientia (cf. Sap. 3, 14. Jes. 56, 4; Sap. 11, 15; 13, 11; 14, 8. Jer. 10, 3 — 5.) istius saeculi ingenium secuturus (Sap. 14, 15) confuderit:

2) auctorem adscribendum esse *saeculo Ptolemaeorum* ea ratione, ut studiis, quae hac aetate Alexandriae potissimum vigerent, fuerit initiatus, neque minus doctrinam Hebraeorum cum ideis

Platonis atque sapientia ex Oriente prognata compingere studuerit. Quisquis est, auctorem libri sapientiae, si v. c. loca Sap. 3, 13 — c. 4, 6 sqq.; 8, 8. 21; 15, 3, cum Essaeorum s. Therapeutarum praeceptis ac disciplina, qualem Philo exhibuit, diligentius comparaveris, huic ipsi sectae adscriptum fuisse non sine omni veritatis specie conjici posse censemus. (Sap. 16, 1; Joseph. de bel. jud. II, 12) cf. *J. Brucker* de vestigiis Philos. Alex. in libro Sap.: (in Miscell. Berolinens. Tom. VI p. 150 sqq. *Eichhorn* Einleitung in die apocryph. Schriften des A. B. Lp. 1795. p. 86 sqq.) *C. G. Bretschneider* diss. de libri Sap. parte priore c. 1 — 11 e duobus libris diversis conflata. Partt. III. Viteb. 1802 — 04. Ej.: system. Darstellung d. Dogmatik und Moral der Apocr. des A. T. p. 232. *Frisch* Vergleichung zwischen d. Ideen, welche in d. Apocr. des A. T. u. s. w. in Eichh. Bibl. p. 668 — 701; 689 — 94. *Matter*, essai historique sur l'école d'Alexandrie, Tom. I. p. 188; Tom. II. p. 141. *Talmud; Cabbala* denudata. Tom. I. Solisb. 1677. 4. Tom. II. sub titulo: liber *Sohar* restitutus. Francf. 1684. 4. editore Christ. *Knorr de Rosenroth.*

§. 2.

SUBSIDIA PRAECIPUA.

Qui antiquitatis in genere scriptores exstitere digni qui laudibus ornentur, Judaicarum eo in loco et ea aetate rerum expositionem, quum se operae pretium non facturos putarent, aut silentio

plane praeteriere, aut obiter, paucis modo attigere. Quod ad gentis judaicae historias speciales attinet, istae non tanta omnino cura nec perspicuitate adsunt elaboratae, quantum populi gravitas ejusque cum rebus christianis arctior connexus videtur postulare. In iis enim libris, qui de Judaeorum historia sunt conscripti, fontes aut nimis sunt neglecti, aut parce inspecti, aut false aestumati, quamvis nostris potissimum temporibus nonnulli virorum doctorum ea, quae de hujus populi historia bene scribenda antea fuerant neglecta, studio indefesso et egregia cum laude supplere inceperint. Quos quidem libros ex parte me consuluisse ingenue fateor *Moshemiani* illius memorem: aliena ope uti nolle, quum praesto sit, eorumque spernere labores, qui ante nos rebus obscuris lucem affundere studuerunt, a stultitia non remotum est. Libri prae caeteris nominandi sunt hi: Geschichte der Israeliten vor den Zeiten Jesu, vom Verf. der Gesch. Jesu (*Joh. Jac. Heſs*) Zürich 1776 — 78. Voll. XII. 8. cf. Vol. XI et XII. sub titulo: Geschichte der Regenten v. Juda nach d. Exilio. *J. Jahn* biblische Archaeologie. Wien 1800 — 17. V Tom. 8. Tom. II.: „Politische Alterthümer cf. Vol. I. p. 320 sqq. *J. M. Jost* Gesch. der Israeliten seit d. Zeit d. Maccab. bis auf unsere Tage. Berl. 1820 — 28. IX Tom. 8. cf. Tom. II. p. 262. sqq. *Rad. Cudworth* systema intellectuale. (ed. J. L. Mosheim) Jenae 1733. II. Tom. Fol. cf. Tom. I. p. 639. sqq. *J. Bruckeri* historia crit. philos. Lp. 1766. 4. cf. Tom. II. p. 653 sqq. Tom. III.

p. 916 sqq. *J. Fr. Buddei* introductio ad hist. philos. Ebraeorum. Halae 1720. 8. *Dietr. Tiedemann* Geist der speculativen Philosophie. Tom. III. p. 96 sqq. *W. G. Tennemann* Geschichte der Philosophie. *Chr. G. Heyne* de genio saeculi Ptolemaeorum (in opusc. academ. Gott. 1785. Vol. I. p. 76 sqq). *Eisenmenger* entdecktes Judenthum. Königsb. *Poelitz*, pragmatische Uebersicht der Theologie d. spätern Juden.

CAP. II.

CUR ET QUATENUS, QUOD INGENIUM, QUI MORES VIGUERUNT APUD JUDAEOS, HOC QUOQUE SAECULO NON INTERIERINT, DISQUIRITUR.

§. 1.

Nationis, quamvis subjectae, ingenium moresque, ipsa libertate amissa, non plane intereunt (6). Etenim qui populum, non nisi salva et incolumi republica, quando alienae auctoritati non obnoxius suis legibus libertateque utatur, adesse et vigere docent, isti plus aequo formae externae habita ratione, indolem populi restringunt coercentque, ita ut, quid sit, quod populum revera constituat, recte non intelligatur. Nam illis quo-

1) *A H. L. Heeren*, historische Werke. Zw. Th. Goett. 1821. 8. cf. §. 1. fgg.: über die Mittel zur Erhaltung der Nationalität besiegter Völker.

que demtis, esse utique potest, teste historia, dummodone populus e societate, quae valet inter populos, aut ejici aut exstingui se patiatur, sed omni, qua potest, cura ingenium, quod forma externa omnium vel minime nititur, sibi proprium teneat." Ego quidem lubenter confirmem, non modo ad populum devictum, verum etiam ad victorem conditiones ingenii incolumis retinendi pertinere: tametsi ejus conservandi causas dignitatisque verae tuendae in ipso populo praecipuas censeo esse quaerendas. Ergo habes instar omnium illustre atque eximium gentis judaicae exemplum, quae, bis mille, et quod excurrit, annos per universum orbem terrarum distenta et distracta, civitatis ipsa constitutione, patria communi privata, nationis nomen et dignitatem servavit, propterea quod voluit, sibique constans permansit.

Jam si ita praeparati animo, gentis judaicae, qualis fuerit sub Ptolemaeis, habemus rationem, quaeritur, num esse, dum regnum stetit incolume, non desierit, natio num exstiterit, libertate licet amissa?

Disquisitio quidem historica dubitationem subesse patitur nullam, tamen, id quod disputatio haec est doctura, strictiori quodam sensu. Gens enim judaica, tantum aberat, ut devicta plane sub Ptolmaeis in Aegypto et subjecta posset haberi, ut cum quodam honore in civitatem reciperetur. Magnus ille Alexander non minus, puam Ptolomaeorum priores, omnium, qui congregati et illiu

civitatis vinculo fuerant conjuncti, populorum indolem nativam exstinguere, et ex una, quae ipsorum animis obversabatur, forma inconcussa, vi quadam moderari prorsus noluerant: tempori potius, quo his consuleretur, dandum esse rati. Omnem itaque operam dabant, ut mutuo commercio et ea necessitudine, qua in hominum coetu ac frequentia alius alio indiget, colonorum saluti et felicitati prospicerent. Quare nationes, quotquot aderant, si immutatae evasere, ingenii deperditi profligatique culpam ipsae certe sustinebant. Nam quanto diligentius gens unaquaeque veram sanamque indolem, certissimumque, ut ita dicam, totius corporis habitum sibi acquisivit, acquisitumque in dies confirmavit, tanto diutius nationis dignitatem et auctoritatem tuita est atque tuebitur.

§. 2.

His perpensis nullam crediderim Ptolomaeorum saeculo Alexandriae congregatarum gentium, id, quo natura imbuerit, tam incorruptum et ab alienis liberum servasse ingenium, quam gentem judaicam. Quod etsi de integris tribus saeculis pronunciare vereor, de priori saltem optimo jure dici potest, eo quod, longo demum tempore interjecto, de severitate ac veteris disciplinae rigore et vitae consuetudine inveterata paulum decesserint.

Maxime sane profuit ad Judaeorum animos jungendos *anxia quaedam cum patria sustentata conjunctio et permixtio cum caeteris populis caute*

remota atque repudiata: quam ob virtutem iidem a Josepho cont. Apion. II, 5, his ornantur laudibus: „nostrum vero genus permansit purum.“ Atque propter eam ipsam, quam modo attigimus, arctiorem cum patria communionem et connexum, qui nunquam non, si fieri utique poterat, est interruptus, factum, ut per terrarum orbem dispersi Judaei (ἡ διασπορά), praesertim qui Aegyptum et finitimas regiones incolebant corpore quidem, neque vero animo distentos se paterentur (1). *Hierosolyma* enim, sacrum tanquam totius nationis caput ac medium (2), unice verus atque dignus cultus divini in nostra hac terra locus existimabatur (μητρόπολις μὲν ἡ ἱερόπολις), *Palaestina* vero, sedes ista illustris, patriarchis antiquitus jam a vatibus promissa, cui soli gentis segregatae in perpetuum felicitas sit annexa. Et concilium istud maxime, quod esse videbatur, venerabile (συνέδριον) summum exstabat omnibusque commune praesidium ac decus, a quo quidem, non res modo et causae ad cultum divinum pertinentes, quae ipsi

1) cf. *Philo* in Flacc. p. 971 E. (edit. Francf., τὰς πλείστας καί εὐδαιμονεστάτας τῶν ἐν Εὐρώπῃ καὶ Ἀσίᾳ κατά τε νήσους καὶ ἠπείρους ἐκνέμονται μετρόπολιν μὲν τὴν ἱερόπολιν ἡγούμενοι, καθ' ἣν ἵδρυται ὁ τοῦ ὑψίστου θεοῦ νειὼς νεὼσ ἅγιος· ἃς δ' ἔλαχον ἐκ πατέρων καὶ πάππων καὶ προπάππων καὶ τῶν ἔτι προγόνων οἰκεῖν ἕκαστοι, πατρίδας νομίζοντες αἷς ἐγγενήθησαν καὶ ἐτράφησαν.

2) Tacit histor. V. 8: Hierosolyma gentis caput. Illic immensae opulentiae templum etc.

ad disceptandum fuerant propositae, divino quodam spiritu edictae profisciscebantur, verum etiam praecepta et docendi et agendi. Religionis ipsius lege, quam violare nefas, sapienter erat constitutum, ut singuli, sancti illius vinculi, quo patriae cum pietate adstringebantur, omni tempore tuendi causa, identidem Hierosolyma migrarent, praecipue diebus prae caeteris solennibus ac sacratis. Quodsi vero ea, quae ad communionem servandam erant praecepta, strictissime et diligenter ob locorum spatium aliasque res observari non poterat, tamen ea ipsa, stipe conferenda (*δίδραχμα*) oblationibusque per annos singulos primitiarum nomine mittendis, pro viribus alebatur ([3]). Quam vero consuetudinem usu receptam, licet Judaei Aegyptii per centum quadraginta, et quod excurrit, annos, omni, qua par est, verecundia curassent, fieri tamen non potuit, quin graecis literis et sapientia, altiori ac sublimiori legis interpretandae ratione inde potissimum profecta, vel leviter tincti, statuorum Mosaicorum dura frena sensim remitterent. Et jam altaris illius per *Oniam* in Aegypto exstructio, quod statuerint de legis sanctitate haud violanda, argumento est. Sacrilega quoque haec ambitio, Judaeis Palaestinensibus, acrioribus religionis patriae defensoribus, plane

---

3) *Philo* de legat. ad Caj. p. 1014 D. „*ἠπίστατο καὶ χρήματα συναγαγόντας ἀπὸ τῶν ἀπαρχῶν ἱερὰ καὶ πέμποντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῶν τὰς θυσίας ἀναξόντων.*

displicuit, etiam cum nexus ille confestim disruptus prorsus non videretur (4).

4) Crimine laesae majestatis divinae, Hierosolymis tantummodo colendae, sacrilega ambitione, quae haberi poterat, in altari Jehovae exstructo conspicua, quippequum Hierosolymis cultus mosaici sedes unice vera atque digna esset, isto, inquam, crimine absolutum se existimabat Onias ad grave illud a Jesaïa vate in Aegyptum *c. XIX* exhibitum oraculum provocando. Quem ad finem Aaronitas sacerdotes, Levitas templi ministros, semet vero ipsum eorum caput designavit. cf. *Flav. Jos.* Arch. XIII, 3. De verbis ipsis versuum 18 et 19, quae respexisse videtur Onias, pauca dicenda sunt. Versus decimus octavus sic finit: עִיר הַהֶרֶס יֵאָמֵר לְאֶחָת׃
In diversas abeunt partes Jesaiae interpretes, si accuratius definire voluerint, quid sit, quod עיר ההרס vates appellet. Lectio primum varians adest, quarum altera ההרס, altera החרס. Qui lectionem priorem usitatiorem admittunt, duplici modo interpretantur:
a) ita, ut urbis alicujus *sors futura* annuncietur: *civitas destructionis appellabitur una.* Hoc sensu admisso, verbum ההרס a rad. הָרַס h. e. destruere, diruere, derivandum est, quae significatio saepius accurrit. יֵאָמֵר cum לְ sequenti idem valet, quod alibi, Jes. 1, 26 יִקָּרֵא appellabitur i. q. *erit.* Quae vis verbi, cum generi dicendi, quod sequitur Jesaïas, respondet, tum nisi in sorte futura s. *conditione* alicujus rei exponenda adhibetur (cap. 3, 4).
b) ita, ut ההרס *nomen proprium* urbis perhibeatur, urbs *Haheres* i. q. urbs *Leontopolis*, eo quod Heres in lingua arabica „contunsor, Zermalmer“ epitheton ornans *leonis* est. Hac significatione et interpretatione verbi admissa, recte provocatur ad

Verum enimvero, quanta fide et religione, altari illo nondum exstructo, praeceptis constitu-

---

locum e Fl. Jos. Arch. xiii, 3. §. 1 — 3 a nobis prolatum. Hunc sensum huic loco inesse statuere, praeeunte *Ikenio* in diss. de Jes. 19, 18, *Michaelis*, *Doederlein*, *Dathe* al.

Qui vero lectionem *posteriorem* עיר החרס urgent, nomen quidem *proprium* urbis alicujus exprimi concedunt, neque vero *Leontopolis*, sed *Heliopolis* civitatis, ita ut vertendum sit: civitas *Solis* appellabitur una. Tunc res ita se habet: τὸ ח posterius e ה, propter figurae literarum similitudinem ortum esse confirmatur. Voc. חֶרֶס significat „ἥλιος, sol" i. q. בֵּית שֶׁמֶשׁ (Jerem. 43, 13), Civitas Solis, πόλις Ἡλίου h. e. Heliopolis. Quae quum ita sint, Oniam Ἡλιοπολίτην νομὸν ad suum altare exstruendum destinasse cum *Scaligero* conjicere licuerit. Quo facto idem assumitur locus, qui Gen. 41, 45 *On*, et ab auctoribus profanis (Herod. II, 3) antiqua sacerdotum sedes appellatur, quam et Strabo lib. XVI, §. 27, spectavit. Chaldaeus paraphrastes loci difficultatem et verborum ambiguitatem superare voluit utramque lectionem compingendo: *civitas*, *domicilium Solis*, *quod destruendum est*, *appellabitur una ex iis.*

Ea denique, quae apud LXX reperitur, lectio: πόλις Ἀσεδὲκ, עִיר הַצֶּדֶק πόλις δικαιοσύνης, ex *interpretum* corruptione promanasse videtur, eo consilio pia fraude admissa, ut excusaretur quasi altaris juxta templum Hieros. exstructio, opusque, si fieri posset, designaretur, Deo favente, susceptum et perfectum. Qua quoque de causa cum illi veterum sapientum laudibus celebrantur amplissimis, qui in Aegypto fuerant, tum *Jeremias*, *ἱεροφάντης* a Philone dictus (nimio ejus gaudet amore cf. de Cherubim p. 115 edit Fcft.)

tionis divinae sanctissimis obtemperabant Judaei Aegyptii. Jehovae, qualem ex libris sacris cognitum habebant, ut debitum honorem praestare, eumque ex consueto more cultu, quo par erat, possent prosequi, non nisi προσευχὰς sic dictas (Bethaus) tanquam locos conventus ad cultum publicum exercendum, non solum Alexandriae, sed per cunctam Aegyptum, quantum porrigebantur, tantum instituerant. (*Philo* in Flacc. p. 971. D; de legat. ad Caj. p. 1013. D. p. 1014 E. Igitur quidnam oberat, quin ii ipsi, frequentissimis et locupletissimis civibus judaicis, Alexandriae aedificarent templum facile splendidum? Quid erat, quod ex aliorum eruditione, ipsa natura et studiis, uberrimos fructus nec perciperent, nec hominibus eruditissimis sese adjungerent junctique ingeniis bene informandis prospicerent? Quid erat, quod exquisitiorem Graecorum scientiam easque literas, quibus ad humanitatem ducimur, priori Ptolomaeorum saeculo non modo non negligerent, sed contemnerent? Causas altius repeti non opus est; servilis illa, opinor, glebae h. e. patriae terrae quasi addicta indoles, quae, ex animi sententia literis incumbendi, jus sacrorum libere exercendorum facultate ademta, quaelibet ad altiora progrediendi studia penitus oppressit. Tamdiu Judaei Alexandrini a Musis erant aversi, tamdiu artium horror eorum animos occupaverat, quamdiu illa cum patria, non minus anxia, quam perniciosa, societas et communio servata est. Falsa igitur,

hac pietate decepti, Idolorum cultorem, vel optimum hominem, literarum studiis, ac ingenii gloria excellentissimum repudiarunt, ne ejusmodi consuetudine ac familiaritate polluerentur. Ex hoc enim usu quotidiano istis, qui Jehovae familiae se adscriptos credebant, non salus, sed pernicies erat speranda. Quae vero opiniones praejudicatae vim suam usque obtinebant, donec animi occoecati a vulneribus inflictis quodammodo superati, exceptis vulneribus, per ea ipsa, quae antea spreverant turgentes, mederi avebant.

§. 3.

In ipsa itaque *religione*, et, quae inde profisciscebatur, *civitatis judaicae forma theocratica*, servilis illius indolis causa et praesidium est quaerendum. Nam nec familiaritatis cum alienis repudiatio, nec eadem, quae inter ipsos et patriam alebatur, communio arctior, tantam valuisset ad ingenium Judaeorum sibi proprium conservandum ac tuendum, quantum valuisse intellectum est, nisi religionis rite et publice exercendae facultatem jusque fuissent nacturi Judaei, nisi ipsius religionis, quam profitebantur, indoles talis exstitisset, qualis exstitit. Ubi primum sacrorum publice exercendorum veniam impetrarunt, tota civitatis forma, *ϑεοκρατία* videlicet, quae in *ipsa religione* posita, et, praeceptis et adminiculis inde petitis, per ministros divini arbitrii, socerdotes dictos administraretur, integra usque permansit.

Jam vero illud vinculum, quo quis cum Numine supremo copulatum se sentiat, ne minimum quidem ad mutuam, qua alter alteri adstringatur, rationem valet. Quae autem fides, inde a *Captivitate Babylonica* adeo erat firma et Judaeorum animis infixa, ut non ad eam deponendam aut rebus adversis, aut secundis facile commoveri possent, propterea quod compertum habebant, Jehovam esse gentis electae et prae caeteris segregatae, Numen tutelare praesidemque. Eadem nimia ridiculaque, sui opinione ducti Judaei, nisi qui Judaeorum genti erant adscripti, eos per se detestandos, impuros divinaeque gratiae expertes putabant. Hinc igitur severa illa et perpetua aliorum remotio contemtioque odium in ea, quae ad Judaica non pertinebant: (1) hinc viva illa, fastu tumens persuasio de dignitate nationi innata nec non in aeternum duratura. Atque colligas, quidnam fuerit, quod talem cogitandi agendique rationem in Aegypto per Ptolomaeorum saeculum aluerit. Jam religionis doctrinae libri in unum corpus, quod *Canonem* dici volunt Theologi (2), erant redacti, iisque, qui pro

---

1) cf. Tacit. l. l. c. 5: „advèrsus omnes alios hostile odium.“
Juven. Sat. XIV, 100: „Romanas autem soliti contemnere leges“
„Judaicum ediscunt et servant ac metuunt jus.“

2) Disceptent inter se Theologi, si accuratius definire

acris et divinis, fidei vitaeque norma et regula
ıabebantur, et publice et privatim sunt usi (3).
Quo factum est, ut Judaeorum ingenium et mores,
acris his libris retractandis ac relegendis, quales
uerant, permanerent, aliaeque opiniones perversae,
ıuae ex traditione et illo, qui *Talmud* inscribitur,
ibro profectae quum insuper accessissent, non
nodo non commutarentur in partem meliorem,
ed confirmarentur inque pejus abirent. Fastus
ıuoque ille superbiaque, quo melioris se ipsos,
leterioris conditionis alios Judaei credebant, non
ɔarum augebatur inani gloriae summae spe, splen-
lidissima felicitatis externae imagine sub Messiae

voluerint, quo tempore Canon V. T., qualis nunc est, prodierit: tantum patet, ut Ptol. jam saeculo complexus librorum prae aliis sacrorum exstiterit, ut Judaei Aegyptii eos in Synagogis ad pietatis sensus excitandos alendosque adhibuerint. Quodsi *Danielis* et *Chronicorum* libri respiciuntur, qui tamquam seriori tempore conscripti collectioni sunt annexi, *ante* Maccabaeorum aetatem, sacrorum et pro divinis habitorum librorum collectionem qualemcunque jam exstitisse fit probabilius. cf. *Semler* v. freier Untersuchung des Kanons. Hal. 1771 — 75. Beleuchtung des jüd. und christl. Bibelkanons (v. *Corradi*). Hal. 1792. II. Tom.; *Eichhorn* Einleit. ins A. T. Tom I. p. 28. sqq. *Bertholdt* hist. crit. Einl. etc. Tom. I. p. 54. sqq. *De Wette* Lehrbuch d. hist. crit. Einl. in das A. T. ed. II. 1822. p. 11 sqq.

3) *Philo* de leg. ad Caj. p. 1014: *ἠπίστατο οὖν καὶ προσευχὰς ἔχοντας καὶ συνιόντας ἐις ἀυτὰς, καὶ μάλιστα ταῖς ἱεραῖς ἑβδόμαις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πάτριον παιδεύονται φιλοσοφίαν.*

adventuri sceptro fortunato percipiendae. Etenim haec spes, qua erecti pie recolebant vatum divinorum memoriam, qui quondam spiritu quodam divino afflati cecinerant, et apud Judaeos Alexandr. viguisse videtur (4).

Haec autem sunt, quae Judaeos Aegyptum incolentes prohibuerint, quo minus indolem mentemque, qua turgebant, deposuerint, neque aliorum ingeniis sint usi, neque totius fere saeculi culturam in suum commodum verterint. Religionem itaque, traditionis ac sapientiae Talmudicae ope expositam, quamdiu homo Judaeus profitetur ac reveretur, tamdiu mores consueti erui ipsi nullo modo possunt: quibus rebus omnibus secta *Pharisaeorum*, *Sadducaeorum* et *Essaeorum*, florentes inter Judaeos accessere, quarum unaquaeque non solum ad principia rigorosa, quae erant, defendenda, sed etiam ad ingenium sibi proprium conservandum et alendum pro facultatibus contulit (5).

4) Non est, qued dubitemus, laetissimam hanc de Messiae adventu spem et Judaeis Aegyptiis fuisse, eo minus, quum apud Gentiles adeo rumor quidam de hac re percrebuerit cf. *Suetonii* Vespas. 4. *Tacit.* hist. V., 13, qui scriptores Josephi locum spectasse videntur, de bel. jud. VI. 5. 4. hujus argumenti: *χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γάμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τὶς αὐτων ἄρξαι τῆς οἰκουμένης.*

5) cf. Trium scriptorum illustrium (*Drusii*, *Scaligeri* et *Serarii*) de tribus Judaeorum sectis syntagma. ed. *Jac. Triglandius.* Delph. 1703. I. Tom. 4.

§. 4.

Ad quod ingenium excitandum atque confirmandum linguae vernaculae s. hebraicae *usus et mores* pristini, Judaeorum animis a natura infixi, adjuvabant. Mores enim patrios, tum propter societatem inter se ipsos arctius junctam, quam diligentissime tuebantur Judaei. Ideo admirabilis apparet morum diversitas inter Aegyptios, Graecos et Judaeos, quae, etsi per longius tempus uno eodemque loco vivebant, tamen esse nunquam desiit; sacrum tanquam inviolabile eos, quorum fulcrum firmissimum patrius erat sermo, conservare studebant. Ille enim, quemadmodum in quovis populo indolis nativae tuendae momentum gravissimum, ita apud Judaeos, quoniam sanctissima in lingua hebraica literarum monimenta conscripta exstabant, maximam vim habuisse constat: quibus effectum est, ut eadem, quibus norma docendorum et agendorum inerat, perpetuum veluti ingenii exemplar pie colerentur. Inde omnis exempli documentum, tanquam in illustri et sacrato monimento positum intuebatur: inde, quid imitaretur, cepit: inde foedum inceptu, foedum exitu, quid vitaret (Liv. praef.) Quantopere Judaeorum ingenium, ut primum patrii sermonis usus Alexandriae imminui coepit, commutatum sit, id, si tempora, quae graecam bibliorum (LXX) interpretationem, alterius ingenii organum, praecessere cum insequentibus contuleris, probe intelliges. Nec efficacius quidquam, quo ingenio paulatim mutando consuleretur, potuit inveniri.

Cap. III.

CUR ET QUATENUS IN ALIAM PAULATIM ABIERIT JUDAEORUM HOC SAECULO NATURA MENTISQUE INDOLES, DISQUIRITUR.

Jam vero, dum ingenium ac mores per Ptolemaeorum saeculum inquirere studemus, cujusnam rationis apud Judaeos, Aegyptum, in primis Alexandriam incolentes tum potissimum fuerint, primo *in causis, quae afferri possint probabiles*, deinde *in animorum affectione, qua Judaei sint correpti inque moribus quos sequerentur*, denique *in studiorum, quae fuerint, genere ac ratione*, paucis versabitur disputatio.

§. 6.

Quodsi infitiari non possumus, nullam rem plus valere ad totam cogitandi, sentiendi agendique rationem paulatim immutandam, quam externam hominum, et quae cum ea cohaereant, conditionem, haec cuique sane Judaeo, qui Aegyptum petiturus, patriam seu sponte sua seu invitus dereliquerat, haud dubie obtigit. Etenim abrepti ab illo loco, quem et vetustatis et dignitatis celebritate, et ipsius vitae, ut fieri solet, consuetudine nimis valde adamaverant, distenti a vivendi ra-

ione ac moribus, quibus domi consueverant, distracti a familiaritate cum suis, homines omnino commutati tempore nimirum progrediente, licet spe et exspectatione lentius, evaderent necesse erat. Quot nationes, tot mores, tot artium ac doctrinarum formae Alexandriae vigebant. Quae vero, quamvis plurimum contulerint ad Judaeorum animos, ne ab omni vita inquinati perturbarentur ac totum confunderentur, arctius conjungendos, tamen gravitas in cogitando, severitas et rigor in agendo, sanctitas in vivendo vel invita sensim remissa leniebatur. Neque haec miraberis, si accuratius quaesieris, qui olim fuerint, quales nunc sint. Rationes planae immutatae deprehenduntur. Judaei enim in novo ac insolito rerum statu cum multis aliis, quorum auxilio saepius egebant, pari sub conditlone vivebant, nondum visa quootidiano usu oculis sunt objecta, admirabilia audita, et omnia ea suppeditata, quibus vita commoda et mollis paratur atque fovetur: ex inopibus opulenti facti, ex civitatis forma theocratica in alteram longe aliis legibus gubernatam transierant. Hinc quoque factum est, ut suae gentis et veteris terrae, patrum religionis, morum et sermonis vernaculi studium amorque, etiamsi plane non exstinctus, languescens tamen inveniretur. Et vatum illorum, qui quondam oracula sapientiae et arcanorum plena, et praeclara altioris, divini spiritus documenta volverant, et monendi et promittendi gratia, voces divinae obmutuerant.

Ex altera vero parte, literae et artes a Graecia (1) variisque Asiae partibus (2) eodem tempore expulsae, in Aegyptum se receperant, ubi refugium praesidiumque sub Ptolemaeorum sceptro invenerant quam exoptatissimum. Alexandrinam enim urbem vix, ne vix quidem conditam, sapientiae doctrina, quae tum vigebat in Oriente, cum viris eruditissimis intraverat. Quicunque literas amabant et tractabant, neque locorum, neque aetatum, neque gentis, neque religionis rationem

1) Mirari licet, quem in orbem quasi redeant, circumvolventibus annis, literarum et cognitionum genera. Ex altera enim parte inde ab antiquissimis temporibus summi et clarissimi viri, quorum e numero *Orpheum*, *Thalem*, *Pythagoram*, *Platonem* proferam, sapientiae quaerendae causa Aegyptum adiisse feruntur, ex altera parte eadem doctrina, adaucta vero, inflexa et immutata postliminio quasi rediit. cf. Diog. Laest. VII. p. 169. (cura Meibomii Amst. 1692, 2 Voll. 4.

2) Simili ratione factum est, nescio, quo pacto, ut hac aetate Orientalium sapientia maximam partem *metaphysica*, terras Occidentem sitas, pervaderet, et in Aegypto praecipue sedem figeret. Graecorum inde non minus quam Judaeorum studiis, admodum multa, cum ex Orientis ingenio (*διδασκαλία*), tum ex Aegyptiorum superstitionibus prognata, adspergebantur, quae literarum studia tanquam contagium pervaserant. *Brucker* hist. crit. philos. Tom. II. p. 639 sqq. *Tiedemann* Geist d. speculat. Philos. Tom. 3. p. 96 sqq. *Tennemann* Geschichte d. Philos. Tom. 6. p. 1 sqq. *J. M. Degerando* vergleichende Geschichte der Systeme der Philosophie etc., aus dem Franz. übers. von *Tennemann.* Marb, 1806. Tom. I. p. 136 sq.

bita, studiorum excolendorum facultatem sunt lepti. Unicus hic locus historiae literariae mpum spatiosum indaganti facile accurreret! uam ob rem laetius, juvenili tanquam vigore, rebant Musae, exteris cujuscunque nationis udiorum gratia eo convolantibus (3). Muum exstabat, regia munificentia exstructum (4) terum in *Bruchio*, alterum in *Serapeo*, (5) ubi terarum cultores ac fautores cum otio literis

3) Quamquam reges, praecipue inde ab altero Ptolomaeorum saeculo luxuriae, omnibusque iis, quibus mens ac vita pestifero contagio plerumque imbuitur atque vitiatur, et Musarum inclinatio nimis valde solet infringi, deditos vidimus, tamen literarum et artium amor non exstinctus est. *Philopatoris* illius, ef *Physconis*, quorum ille Sphaeri Stoici consuetudine (Diog. Laërt. VII. p. 185. Athen. Deipn. l. V. p. 203.) hic vero Aristarchi institutione (Athen. l. II. IV..) usus est, exempla afferre sufficiat. Judaeo insuper cuilibet, siquidem literarum studiis excellebat, ad Physconem, immanem caeterum tyrannum, patebat aditus, qui v. c. Jesum Hierosolymitanum, Syrachi filium, quippe qui Jesu, avi sui librum, e lingua hebraica in graecam verteret, benigne excipiebat.

4) cf. *Dio. Cass.* L. XXVII. 7. 22. 23, *Sozomen.* VII. 15. Ptolem. jam Lagi Musei et Bibl. fundamenta jecisse docet *Suidas* v. *Ζηνόδοτος*; Diog. Laërt. in vita Theopr. V. 36.

5) His laudibus tollit Ammian. Marcell. Serapeum l. XXII, 16: licet minuatur exilitate verborum — — — operum tamen multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quo se venerabilis Roma in aeternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat.

grato publice alebantur (συσσίτια aristotelica). Bibliothecae, sapientiae literis consignatae receptacula, studiis incumbenti materiem suppeditabant quam largissimam, ut nec ingenii excolendi, nec animi alendi, nec denique doctrinae conservandae atque propagandae deesset facultas. Desiderium veri reperiundi ardentissimus quisque habebat, quo bene se informaret, sive prisca mente repetere, sive nova indagare voluerit.

Sed hoc necessario inde sequebatur, ut in Judaeis quoque ea sapientia, quae e multis Graeciae et orientis partibus Alexandriam confluxerat, inde a tertio a. Ch. saeculo pervulgaretur. Qui enim Judaeus horum studiorum genus ac rationem visu ipso cognoverat Alexandriae florentem, impetrare a se plane non potuit, quin excitaretur et adduceretur, praesertim cum res metaphysicae, quatenus ad religionem spectabant, Judaeum ipsum cultorem saepius attingerent religionis doctrinae, quae a numine supremo ejusque μεσίτῃ proximo, qui est *Moses*, profecta perhibebatur atque stabilita. Jam fieri potuit, ut libri canonici, quippe quum pro sacris et divinis habiti, in Graecum versi ad manus essent, non a Judaeis modo salva conscientia et juris insuper aliqua specie, Graecorum, quibus sapientia continebatur, libros praeclaros evolverentur, sed Graecisetiam viris aliisque, quibus placuerit, religionem ipsam judaicam propter linguae inscientiam antea prohibitam inspicere liceret: jam ipso obtutu persuadere sibi quisque facile poterat, quid esset, quod homo Ju-

daeus tanta verecundia, tanto cultu prosequeretur, et quonam jure hoc fieret.

Atque ingenii judaici magnopere hoc tempore commutati causam invenimus praecipuam in illa animorum propensione, ex qua nihil earum rerum, quae ex Oriente erant profectae, alienum a se putaverint. Judaei nimirum, diuturna sede inter Chaldaeos Persasque detenti, sapientiam *magico-chaldaicam* penitius perspexerant, ut hac tabe, quam toto animo nunc amplecterentur, nunc ab ea abhorrere non viderentur, plurimum sint affecti. Neque vero mirari licet, si perpenderis, non librorum modo sacrorum complures in captivitate Babylonica fuisse conscriptos, verum etiam permulta certe occurrere accurratius eos legenti, quae illi locorum sapientiae similem prae se ferrent atque spirarent indolem (7). Itaque mirae

7) Permulta V. T. loca satis superque haec testantur, quorum insigniora hic proferre proderit, qualia sunt: Gen. 1.; Exod. 24, 16 — 18; 1 Reg. 18, 12; Job. 34, 13 — 14; 41, 12; Ps. 36, 10; 68; 104, 1 u. 2: 139, 8; Prov. 4, 23; Jes. 6; 9, 3; 51, 4; 60, 1—19; 66, 1; Ezech. 1, 4—27; Dan. 3, 69; Zachar. 12, 4: Sap. 11, 24; 12, 1 al. quid! quod in N. T. scriptis haud occulta deprehenduntur vestigia cf. Mth. 4, 16; 6, 23; Ev. Joh. 8, 12; 12, 36; Roem. 7, 6; 13, 12; 1 Cor. 2, 10; 2 Cor. 11, 14; Eph. 5, 13; Col. 3, 3; Hebr. 1, 7, 4, 12; Jac. 1, 17, 1 Joh. 4, 1; al. Ejusmodi cogitationes saepius quoque occurrunt ap. *Philonem* cf. de mundi opificio p. 16 ed. Pf.: ζωτικώτατον τὸ πνεῦμα.

huic rerum divinarum ac humanarum commixtioni, innumeris juxta verbum scriptum oretenus propagatis traditionibus, et *Cabbalam*, Theologiae mythicae ac symbolicae complexum, et libros illos *Talmudicos*, praeceptorum Judaicorum corpus, originem debere liquet.

Nunc vero in enumerandis causis, quae Judaeorum indolem moresque commutare potuerint, intestinas inter Judaeos ipsos controversias, altercationes et seditiones non omittendas esse censeo. Atque Essaeorum et Therapeutarum praecepta, vitae ratio ac consuetudo maximam habebat vim tam ad aliud vivendi genus eligendum, quam ad literarum studia atque ingenia magis magisque immutanda: qua de re nostro Philone vel obiter legendo tibi erit persuasissimum.

§. 2.

His omnibus effectum est, ut in natione judaica, quae Ptolemaeorum saeculo Aegyptum incoleret, nec certa doctrinae ratio, nec firmitas in studiis, nec constantia in moribus, nec integritas in vita, nec, ut ita dicam, una in toto homine natura reperiretur, ut religiones, opiniones, mores et linguae pariter atque ipsae gentes confunderentur.

ζωῆς δὲ Θεὸς αἴτιος cf. Ev. Joh. 8, 12. *Philo* l. l. *τὸ δὲ, φῶς, ὅτι ὑπερβαλλόντως καλόν· τοσούτῳ γὰρ τὸ νοητὸν τοῦ ὁρατοῦ λαμπρότερόν τε καὶ αὐγοειδέστερον, ὅσωπερ ἥλιος, οἶμαι, σκότους, καὶ ἡμέρα νυκτὸς κ. τ. λ.* Jac. 1, 17.

Morum depravatio, quod plerumque fieri solet, immensas sequuta est divitias, quae ex mercatura tum magis pestifera quam salutifera proficiscebatur [1]: vita diffluebat mollitie luxurieque, quibus circumcincti tenebantur: vitiis, quibus laborabat saeculum, et Judaei affecti evasere: levitate antiqua abjiciendi, nova fortasse, certe non semper meliora, arripiendi cupiditate imbuti. Relaxata magis in dies cum patria conjunctione, relaxatis, qui hucusque maxime valuerant, sacris ritibus et publice et inter parietes privatos, accidit, ut alienae formae, aliis moribus indulgere inciperent. Quotidiana consuetudine ac familiaritate edocti bene intellexerant, eos quoque, qui Judaeorum genti non essent adscripti, multa habere digna, nedum quae condemnarentur, sed quae acciperentur. Servili itaque indole, quae quemadmodum in verba magistri juraverat, ita vel optimum tenuerat, missa et abjecta, aliorum doctrinae, ingenio ac vitae magis sese appropinquaverant. Quo quidem factum est, ut saluberrima illa in hominum frequentia permutatio, qua ex eruditionis, quam quis habet, et scientiae apparatu datur et accipitur, a Judaeis quo-

1) Quanta vitae elegantia luxuriesque sub Ptol. fuerit, ex egregio *Theocriti* Idyllio XVII, 112. sqq., insigni vitae privatae munimento cognosci potest. cf. *Polyb.* ap. *Strab.* l. XVII. c. 11. Quamnam sententiam noster ipse Philo de Alexandrinorum moribus foverit, leges in Phil. libro de leg. ad Cajum p. 1015 D.: *δεινοί εἰσι τὰς κολακείας καὶ γοητείας καὶ ὑποκρίσεις, παρεσκευασμένοι μὲν θῶπας λόγους, ἀνειμένοις δὲ στόμασι καὶ ἀχαλίνοις πάντα φύροντες κ. τ. λ.*

que admitteretur; in altera vero parte perversitati variae aures praeberent faciles. Quo vero vitae pravae contagium et aliarum regionum Judaeos usque adeo pervaserat, ut morum probitatis laus ac gloria, qua antea excelluerant, jam nulla esset (2).

---

2) Quae *Tacitus* Hist. lib. V. de Judaeorum mentibus, vita ac moribus severe dixit, ea de Judaeis Romae et Alexandriae inprimis viventibus prolata crediderim. Tacitus, quando, Flavio Josepho et sui temporis Judaeis ducibus, in gentis judaicae ingenium moresque invectus est, probe est animadvertendum, Romanum Romanorum ritu loqui de Judaeis. Hac igitur voluntate foedae pravitatis imaginem de Judaeis exhibet: cf. cap. 5.: „fides obstinata, misericordia in promtu, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent, inter se nihil illicitum: cap. 8: despectissima pars servientium, superstitio, deterrima gens, mobilitas vulgi etc.: cf. *Kirchmaier* exercitt. ad Tac. hist V. „de rebus moribusque Judaeorum" (in *Schlaeger* fasc. diss. rarior. de antiquitt. sacr. et profanis. Helmst. 1742. 4. Nr. 3). *Wormii* comtt. de corruptis antiquitt. Hebr. apud Tacitum et Martialem vestigiis. Hafn. 1693—94. 4. Philonis nostri de Judaeis sententia (in Flacc. p. 972) cum *Taciti* et *Martialis* judicio minime congruit, propterea quod gentis suae defensor acerrimus exstitit. Attamen Judaeorum hac aetate vitiositatem magnam fuisse, haec ipsa *Flavii Josephi* verba docent: de bel. jud. VII. 8. 1: *ἐγένετο γὰρ πως ὁ χρόνος ἐκεῖνος παντοδαπῆς ἐν τοῖς ἰουδαίοις πονηρίας πολυφόρος, ὡς μηδὲν κακίας ἔργον ἄπρακτον καταλιπεῖν, μηδ᾽ εἴ τις ἐπινοίᾳ διαπλάττειν ἐθελήσειεν ἔχειν ἄν τι καινότερον ἐξευρεῖν*, cf. lib. V. 10. 5.

Huc accedebat, quod Judaei, in Aegypto maxime, mira, eaque tristiori animi affectione, quae jam pridem per hanc terram latius serpserat, sunt correpti. Gens enim, quae secundum expressa doctrinae divinitus patefactae effata prae caeteris probatam se Deoque acceptam credebat, aequo vix animo ferre id poterat, quod tot calamitatibus, tot acerbis post hominum memoriam miseriis esset afflicta. Tristis enim earum recordatio, iniquo animum implere moerore, et mentem huc illuc cogitando trahere oportebat. Aerumnae gravissimae, a regibus et privatis viris Judaeis in Aegypto illatae, quibuscum per totum Ptolemaeorum saeculum passim erat colluctandum, (3) animos, moestitia quadam atque morositate affecerant. Attamen in ipsis calamitatibus et malis, quod, si quidem rei gerendae omnis vis non perierit, fieri solet, aut animose Judaei resurrexerant, et rebus cum alacritate et fortitudine gestis praeteritorum malorum memoriam delere studuerant, aut magis magisque, quod, si quidem imbecillitatis sensus nimium inhaeret atque praevalet, solet fieri, lapsi avide arripiebant quodcunque auxilium externum, dummodo fulciret animum vehementer fractum. Itaque animum convertebant ad cogitationem et contemplationem Numinis divini, quod et spiritus et causa omnium rerum sola efficiens, mundo non

3) cf. III. *Machab.* 1 — 3. *Plutarch.* in Cleom. p. 1504 — 10 exc. H. Steph. *Joseph.* c. Apion. II, 5. *Diod. Sic.* fragm. 32, 24. 36. 37. *Athen.* Deipn. VI, 25, VI, 282; *Justin.* 33, 8.

continetur ([4]). Mens inspirationem capit, quam Deus inspirat, quum mediante spiritu vim suam extendat usque ad subjectum. Alioquin anima Deum non intellexisset, nisi ipse inspirando attigisset eam, quantum fieri potuit ([5]). Nec enim ausa fuisset humana mens tam alte ascendere, *ut attentaret Dei naturam*, ni Deus ipse sursum traxisset eam ad se ipsum, quatenus fas erat humanum intellectum sublevari. Quo fit, ut ad Deum ipsum ascendere mentisque oculis intueri ipsum possimus (*ὅρασις θεοῦ*), ad quam vero perceptionem atque contemplationem, non nisi virtute studiosissime excercenda, nos pervenimus (*ἄσκησις*), quae ipsa promovetur vita a coetu et hominum frequentia remota et vacua publicis negotiis animum tantummodo perturbantibus ([6]). Hinc igitur apud multos in Aegypto Judaeos Mysticismi ac furoris cujusdam fanatici incunabula; hinc in loca desertiora recessio et confugium, vitae

---

4) *Philo* leg. Alleg. I. p. 47. A. *ἄποιος* (qualitatis expers) *γὰρ ὁ θεὸς ὀυ μόνον, οὐκ* (melius *ἀλλ' οὐδ'* ed. Pf.) *ἀνθρωπόμορφος* cf. p. 48. B: *θεοῦ γὰρ οὐδὲ ὁ σύμπας κόσμος ἄξιον ἂν εἴη χωρίον και ενδιαίτημα — — αὐτὸς δέ ὑπ' οὐδένος ἄλλου περιεχόμενος, ἅτε εἷς καὶ τὸ πᾶν αὐτὸς ὤν.*

5) Philo leg. Alleg. 1. edit. Fcf. p. 47 B. ed. Pf. Tom. I p. 142: *τὸ μὲν οὖν ἐμπνέον ἐστὶν ὁ θεός· τὸ δὲ δεχόμενον ὁ νοῦς — — τείνοντος τοῦ θεοῦ τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ δύναμιν διὰ τοῦ μέσου πνεύματος ἄχρι τοῦ ὑποκειμένου — — ἐπεὶ πῶς ἂν ἐνόησεν, ἡ ψυχὴ θεὸν ἐι μὴ ἐνέπνευσε καὶ ἥψατο αὐτῆς κατὰ δυναμιν.*

6) *Philo* de mundi opif. (edit. Fcf.) p. 11; Leg. Alleg. I. p. 50. 70; de praemiis et poenis p. 708. Lib. de vita contempl.

solitariae ac monochicae qualis in Therapeutarum et Essaeorum sectis invenitur primordia haud exigua. In rerum enim humanarum naufragio animus fractus spem atque solatium quam jucundissimum haurire poterat phantasiae et sensuum acriorum ope ex intelligibili Dei profunditate, flatui cuidam comporabili, qui mente penitus percipitur (7).

Praeterea moestior cogitandi ratio, animorum tristitia admodum augebatur, si quidem Judaeus, qui religionem patrum sanctissimam imo pectore venerabatur, domesticas de eadem discordias altercationesque, si legem, quam aeternam fore sperabat, mutatam, diverse ab interpretum arbitrio tractatam auimadverterat. Quamquam nonnulli etiam surrexere, qui non modo contra haec ingeniorum studia, verum contra vitiositatis torrentem brachium dirigere conarentur, tamen deerat is, qui prospero successu et ea, quae erat necesse, vi ruentem cohibere potuisset. Quantopere enim Judaeorum multitudo de illa mentis sanctitate, de vitae innocentia a majoribus studiose quaesita, de virtutis via hoc saeculo, hoc loco decesserat!

§. 3.

Certe hanc rem nos cognovisse necesse est,

---

7) Philo leg. Alleg. I. ed. Pf. Tom. I. p. 144: *ῥώμην γὰρ ἔχει ὁ λογισμὸς αὐτοῦ. ὁ δὲ ἐκ τῆς ὅλης τῆς κούφης καὶ ἐλαφροτάτης αὔρας, ὡς ἂν ἀποφορᾶς τινὸς, ὁποῖαι γίγνονται ἀπὸ τῶν ἀρωμάτων.*

priusquam studiorum ac ingeniorum, qualia apud Judaeos Aegyptum incolentes tum potissimum viguerint, genus ac rationem perscrutamur. Quidquid agitur, ad unam prope religionem pertinet (¹): philosophia nomine digna, interpolata quasi atque corrupta in perversitatem abiit. Judaei, dum literas respuebant, eas admittebant: dum perniciei esse videbantur, salus inde petebatur. Jam ingenia, quae hanc rem perfici posse putarent, hoc tendebant, ut partim *religionem Judaicam tuerentur*, partim cum *aliorum sapientium dogmatibus eam conjungerent ac confunderent*. Inde duplex potissimum studiorum ac ingeniorum cernitur ratio.

§. 4.

Itaque, ut ille Judaeus, cui de fidei paternae veritate sempiterna persuasio firma inesset, religionis suae sacrum inviolabile feliciter defendere posset, objectiones quasdam debebat refutare:

a) *virorum* illius aetatis *doctorum*, *qui Judaeorum genti non erant adscripti*. Etenim qui ingenii acumine, mentis et animorum cultura valebant, modo nova cognoscendi cupiditate, modo

1) Rhetorum, Sophistarum et poeseos artes a Graecia in Aegyptum immigratae, studia grammatica et geographica spectabant religionem, nec non mathesis, geometriae, astronomiae, astrologiae, physices, musices atque medicinae placita (Sap. 8, 17 — 20) quibus Magorum, Chaldaeorum, Persarum et Aegyptiorum sapientia ubique est adspersa.

scientiae augendae studio adducti, controversiis ad religionem pertinentibus implicari se facile patiebantur. Nunc Judaeorum literas sacras adierant viri in cogitando exercitati, a vinculis illius fidei, quibus homo Judaeus erat constrictus, liberati, uberiori et exquisitiori eruditione exornati. Is vero, qui talis erat, quam multa alia invenit pro ingenii facultate, quam multa liberaliori modo interpretatus est de Deo, de origine mundi ac mali, quod vulgo perhibebatur, de narrationibus, quibus miracula et vaticinia continebantur. Quam multa monenda, castiganda et explodenda ipsis videbantur. Et vere. Judaeus igitur, nisi, certamine ita indicto, victas dare voluit manus, quanta poterat vi, obluctari coactus est, ut suam, quam destructam, dignitate omni ac sanctitate nudatam, imo explosam cognoverat, religionem diligenter tueretur. Sagacitatis enim judicium in religionis judaicae interitum adhibitum, sales et facetiae in nugarum professores, quales perhibebantur Judaei, effusae, ea, qua par est, gravitate ac severitate erant rejiciendae (1).

---

1) Cujusnam rationis ista fuerit in Judaeos protervia et lacessendi studium, ex his potest colligi: *Horat.* Sat. 1, 69. 70.:

„— — hodie tricesima sabbata.
Vin'tu
„Curtis Judaeis oppedere? — —

Juven. Sat. VI, 159: „observant ubi festa mero sabbata reges
„et vetus indulget senibus clementia porcis.“

b) *Judaeorum ipsorum*, qui in hoc rerum statu praecepti sanctissimi plane immemores, de ipsa indole ac summo constitutionis mosaisae fine coeperant cogitare, atque, prout erant, alia neglexerant, alia violaverant, alia adeo contemserant. Quae impudica cogitandi et agendi ratio Alexandriae inprimis, deinde vero Romae et in urbibus frequentioribus religioni judaicae accidit. Judaei enim ipsi rationis lumen, non ea conditione homini a natura datum, in religionis semper colendae detrimentum eo usque adhibebant, ut optimus quisque Jehovae cultor vehementer laesum se sentiret.

Homo de grege ista opprobria, quae fluvio similia ab infestissimo quoque religioni objiciebantur, nec removere nec refutare facile poterat. Idcirco sapientiorem legis interpretem, ejusmodi ignominiam a natione, Deo probata, demoturum sperabat. Haec quoque spes eum non frustrata est, verumtamen in rerum natura erat situm, ut defensori rerum judaicarum arma ipsa, quibus adversarius Judaeum perdere studebat, essent inspicienda, et certissima aderat victoriae spes, si

---

Sat. XIV, 96—100: „Judaicum ediscunt et servant ac metuunt jus,
„Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.
„Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;
„Quaesitum ad fontem solos deducere verpos.

quidem apta, ut ajunt, orationis conformatione, argumentorum aciem aut obtunderet, aut gladium, ex adversarii manibus fortiter ereptum, sibi ipsi vindicaret. Inde necessario sequebatur, ut homo Judaeus in eorum, qui non Judaei erant, literas et altiorem sapientiam quam diligentissime incumbere cogeretur. Qui vero a se impetrare non potuit, quin acerbas injurias Judaeo ejusque religioni ultro ac contumeliose illatas aequo animo aut perferret, aut iram conceptam reprimeret, eum in certamen atrocissimum descendere oportebat. In utraque ratione, et literarum spatiosum campum summa cum diligentia perlustrandi, et religionis acriter tuendae studio indefesso noster inter omnes excellebat *Philo Judaeus*. (cf. Flav. Joseph. Arch. XVIIII. 8. 1.)

§. 5.

Verum enim vero adversariorum refugiis hoc modo diligenter accurateque cognitis atque perlustratis, controversiam illam de veritate, dignitate ac divina religionis judaicae origine haud facile posse dirimi, erat in promtu, eo quod contradictio quaedam in profundis sita consideranti appareret. Nam ea ipsa principia, de quibus disquisitiones disceptandae ab utraque parte fuerant exorsae, toto prope coelo distabant. Is enim, qui non Judaeus erat, ad egregias rationis mentisque facultates, quas natura, provida rerum omnium mater, dedisset, recte provocari posse putabat: at Judaeus

revelatione divinitus patefacta, extraordinaria ac supernaturali nitebatur, quod beneficium Deus hominibus per Mosen largitum fuisset. Ille principii sui ac sententiae firmitatem atque constantiam, *salva hominis natura, ratione praediti*, hic doctrinae coelitus missae sanctitatem atque veritatem, *salva Dei supremi natura* (ejus, qui erat אֵל עֶלְיוֹן, potentissimus ac perfectissimus, coeli et terrae possessor Gen. 14, 22) nec negari nec abjici posse existimabat. Quid itaque? Homo Judaeus, qui neque verae rationis sanaeque mentis expertem, neque impium se haberi volebat, contremuit. Quare omni opera religionis judaicae luminibus erat elaborandum, ut, si fieri posset, principia inter se tam discrepantia conjungerentur ac compingerentur. Ibi enim controversiarum compositio! ibi salutis spes!

Quae cum ita sint, omnia fere ingeniorum judaicorum studia eo continentur loco, ut diversarum sententiarum communis radix reperiatur, qua reperta ille dissensus e medio possit tolli. Quam ob rem non solum *Theologumena* et *Theosophumena* ex Oriente profecta inter se, verum etiam cum Graecorum sapientia et superstitionibus Aegyptiacis conjunguntur atque commiscentur. Et principio cognoscendi, quod in intellectuali intuitione quaeritur, jam constituto, literae sacrae V. T., tanquam vehiculum externum, a Judaeo suppositae sunt. His perpensis et communi hoc sapientiae fonte probe inspecto, hanc sequutus est Judaeus argumentandi rationem:

A) a Deo, (qui est אֵל אֱלֹהִים Deus Deorum, eus summus et reverendus, totius rerum Universtatis possessor et judex justissimus, Gen. 14, 23; }, 25.) sapientia profecta est quaecunque, eamue per suum legatum et religionis judaicae aucrem populo judaico patefecit. Itaque non est, uo homo graecus aliusve glorietur, quoniam

B) omnis vera sapientia, undecunque orta, ve ad religionem, sive ad philosophiam spectet, si religioni judaicae inest (1). Sana tamen et ecta librorum sacrorum interpretatione opus est, ajus auxilio illa sapientia possit evolvi atque rui; etiamsi enim verba per se h. e. mera et uda haec utique non docent, probe tamen distinuendum inter talem bibliorum interpretatioem, qualis est, quae in verba quasi juret,

---

1) Saepius Judaei in hoc certamine ita: *τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μώσης ἀττικίζων.* Magni quoque in hac re definienda momenti est id, quod nobis *Euseb.* praep. evang. XIII. 12 ab Aristobulo conservavit, quem *φανερόν*, loquentem facit, *ὅτι κατηκολούθησεν ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ, καί φανερός ἐστι περιειργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ — — — καθὼς καὶ Πυθαγόρας, πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιΐαν κατεχώρισεν κ. τ. λ.* Vehementer praeterea hac aetate de principatu inventionum generi humano utilissimarum certatum est, de artibus et scientiis; quinam nimirum, num Judaei an Graeci primi eas coluerint. Cf. *Philo* de judice p. 719 expressis verbis *τῶν παρ' ἕλλησιν*, inquit, *ἔνιοι νομοθετῶν μεταγράψαντες ἐκ τῶν ἱεροτάτων Μωσέως στηλῶν.* Zenonem, imitatorem paene Mosis designat cf. quod omnis probus liber p. 873 *ἔοικε δὲ ὁ Ζήνων ἀρύσασθαι τόν λόγον, ὥσπερ ἀπὸ τῆς πηγῆς τῆς Ἰουδαίων νομοθεσίας.*

(interp. ad *literam* s. *vulgaris* wörtliche od. allgemeine Schrifterklärung) et inter eam, quae, velanime hoc abjecto, altiorem verborum sensum inquirat, (interp. *allegorica*, *mystica* s. *secreta*, höhere, geheime Schrifterklärung). Mentem hujus distinctionis ita intelligi voluit Philo: qui verborum ac significationum *sensus*, ei, qui discendi cupidus, in legis divinae lectionem animum advertit, e vestigio cogitanti occurrit, is vocatur *vulgaris*. Tum vero homo caret luce a Deo profecta, propria rerum cognitione, non nisi verba, tanquam umbram imperfectam, quae est in mundo hoc inferiori (*κάτω κόσμῳ*) comprehendit, veram sapientiam primoribus vix labris gustavit. Equidem hac ratione Numen supremum imbecilliori antea populi sui captui atque intelligentiae sese accomodavit. Qui vero ad philosophiae studium se contulit, de ea meditatus est, animam virtute strenue exercenda purgavit, ad Dei et mundi intelligibilis contemplationem adscendit, is *literarum* velamine soluto, notiones rerum sublimiores multitudini obvolutas animae oculis intuetur, legis divinae explicatione *secreta* fruitur nec non scientia altiori et uberiori. Verus ille initiatus mysteriis (*μύστης*) radiis illustratur originariis et incorporeis (*ἀρχετύποις καὶ ἀσωμάτοις ἀκτῖσι*), qui ex intelligentia suprema egrediuntur. Haec sunt principia interpretationis Philonianae *allegoricae* cf. de *somniis*, p. 580 sqq. *Quod Deus sit immutabilis*, p. 301. *De linguarum confusione* p. 339. edit. Francf.

Ex his necessario sequebatur, ut

a) verus bibliorum interpres, *salva religionis sanctitate*, arctiores illos limites perrumpere, et

b) ad *Deum ipsum* omnis sapientiae veritatisque fontem primum (Urquelle) adscendere posset.

Attamen ut quisque acri in cogitandi ingenio eruditione valuit, ita principium quidem tenuit ɔdo definitum, neque vero unam, qua diversa ıilosophorum praecepta in religionis judaicae mmodum atque honorem optime conjungi posse inabatur, viam est ingressus, quorum *alter:*

eclecticum maxime sequutus est tractandi genus, quod abiit:

1) modo in *Electicismum rationalem*, quo e philosophia orientali, sensu latiori sumta, Aegyptiaca, Graecorum et Hebraeorum, rationis humanae auxilio, utilissima et optima quaeque, accurate ac consulto decerpta et contexta sunt:

2) modo in *Syncretismum*, quo diversorum systematum partibus, sibi ipsi saepius alienis, conjungendis ac compingendis, totum factum atque conglomeratum est, *alter*:

ysticum delegit tractandi genus, quo tranıilla animi contemplatione, statu quodam senıum acriorum et divinationis, propiori cum geiis coelestibus consuetudine ac familiaritate, saientiam ut commisceret qualemcunque, vehemen-

ter studuit. Hic erat morbus saeculi, haec animorum propensio, quum in morum tabe atque depravatione, in systematum philosophicorum fluctuatione, in vitiato sanae rationis lumine, ingenia minime delectarentur *eruditione solidiori*, iis potius studiis, quae mentem pascendo tractarent et ludendo possent percipi. Nunc melioris naturae homini, rebus terrestribus neglectis, satisfecisse sibi coelestibus arripiendis, et in unione cum Deo mystica, accuratiorem cognitionem et sublimius scientiae genus se habere, erat persuasum. Quare animus Deum imbibere quasi gestit, et hominis oculus aperitur gratiae divinae, adeo ut in Numinis divini, omnis sapientiae fonte primitivo rite ac diligenter contemplando animus vera, immediata ac supernaturali scientia perfruatur. Hinc cernitur *Mysticismi neoterici* forma, communis tanquam sentina, in quam ingeniorum hac aetate studia confluxere. Atque una mystici hujus generis species est ea ipsa apud Judaeos in Aegypto pervulgatior, cujus vestigia ab *Aristobulo*, Ptolemaei Evergetis II. aequali, (2) (circa 175 a. Ch.)

2) Aristobulus ille (cf. Fl. Jos. cont. Apion. I, 22) qui graecam amplexus erat philosophiam, Peripateticorum disciplinae nomen dedisse vulgo perhibetur (cf. Euseb. praep. evang. XIII, 12) quamquam e Philonis libris, quem habuit in interpretandi ratione *mythico-allegorica* sectatorem studiosissimum (cf. Origin cont. Cels. l. IV. §. IV sec. vers. Mosheimii Platonicae scholae eum adscriptum fuisse recte conjicere licet. Judaeis quoque Alexandrinis, mollitiei, luxuriae et libidini indulgenti-

m olim pressa, apud *Philonem Judaeum* (³) hoc mpore mirum in modum amplificata et magnore exculta deprehenduntur, ea ipsa Mysticismi species, quam *Idealismi mystico-eclectici* nomine

bus, *severior* illa Peripateticorum disciplina minus certe placuerit. Ideo si quis Aristotelicae scholae hoc loco et hac aetate condendae cupidus fuisset parum, credo, applausus sibi conciliasset. Primum praeterea periculum, librorum sacrorum V. T. *symbolice* et *mystico-allegorice* interpretandorum fecisse Aristobulus ille dicitur, atque revera, nisi ejus in Mosis legem commentarii periissent, non modo haberemus, quo philosophiae illo aevo statum, verum etiam ingenium, quod Alexandriae tum maxime viguit, penitus possemus perspicere. Philo eundem in libro de vita contempl. sectae Therapeutarum auctorem designavit. cf. *J. G. Eichhorn*, Bibl. für bibl. Litt. Tom. V, p. 280. *Valkenaëri* diatribe de Aristobulo Judaeo ed. *Luzac*. Lugd. Bat. 1806. 4.

3) Quamquam alii quoque viri Judaici, (cf. *Philo* de allegor. I. p. 54; de cherubim p. 112 sqq.) quorum autem nomina non patent, interpretationi *mythico-allegoricae* operam suam navarunt, inter tamen omnes *Philo Alexandrinus* longe excelluit. Is vero ipse, quem nec injuria, opinor, sui temporis *Mendelsohnium* dixerim, jam *Neo-Platonicorum* ordinem ducit, inque his, quae postea ab illis uberius et accuratius sunt pertractata, Judaeus haud inepte versabatur. De vita Philonis, qui praeter quam quod Platonis scholae erat additus, in Pythagorae, Aristotelis et Stoicorum philosophia erat versatissimus, plura scripsit *Brucker* in hist. crit. philos. T. II p. 797. Et si accurate dici non potest, quo anno Philo natus sit (forsan a. 25 a. Ch. cf. de legat. ad Caj. p. 992 A) tempore tamen *Jesu Christi* eum vixisse constat.

prae aliis insignire placet, duplici tamen ratione, quatenus is ipse est vel magis:

a) *philosophicus*, quo ad cognitionem realitatis notionum de rebus sensuum ope non percipiendis innatarum, *intuitione quadam intellectuali* vel,

b) *theologicus*, quo ad persuasionem de rebus ad religionem pertinentibus nos pervenire posse putabatur, non rectae sanaeque rationis et mentis legibus bene adhibitis, sed sensibus acrioribus, divinatione quadam et Entis divini intuitione, quae limites homini a natura datos transgreditur.

Jam huic studiorum ac ingeniorum Judaicorum generi et rationi quam maxime succurrebat Platonis philosophiae *speculativa* pars, ut cui inepte major ambitus tribueretur (4). Quare noster quoque Philo maximam in ea tractanda consumsit operam, cujus documentum est illud: *ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει.* Praeterea de *ideis* doctrina Platonica, quemadmodum interpretationis symbolicae ope cum *numeris* Pythagorae, cum *categoriis* Aristotelis conjuncta est, ita vanae religionis mythicae opiniones, Magorum sapientia et mysteria, nec non doctrinae mosaicae statuta legesque in unam cum illa Philosophiae formam sunt redacta (5). Neque vero istis tantummodo Philo-

4) Philo suas allegorias Mosi adnectit, Plato passim Homero cf. de republ. II, p. 605 — 619, (edit. Frcft.)

5) Ut quisque in una alterave doctrina exponenda erat

phorum praeceptis perperam intellectis, verum cris etiam ritibus, μύθοις et mysteriis sublimiores ltiorisque originis veritates ac revelationes, explicatione mythico-symbolica inde eruendas inesse, tum multi hujus aetatis interpretes, tum noster lle *Philo* suspicatus est.

Schola itaque judaica, quae juxta philosophias Ptolemaeorum saeculis Alexandriae orta floruit, ab omnibus ceteris magnopere differebat. Eadem enim neque Orientalium, neque Graecorum apientiam atque doctrinam, quam probe cognoverat, amplexa est, sed *Aristobuli* et *Philonis*, iujus scholae principum, studia id tantummodo pectabant, ut veteri patrum religioni majorem mbitum tribuerent eamque, ignominiae tollendae, lignitatis tuendae et augendae gratia, splendore luodam undique decerpto exornarent. Hac enim atione sperare poterant, fore, ut adversarii et sapientiae judaicae contemtores conticescerent, et

---

abstrusior, ita arridebat Mysticismi studioso. Ita factum est, ut obscuriores et mysticae de rebus divinis sententiae, cum Aegyptiorum, Chaldaeorum, Magorum doctrina et Orphica secreta sapientia persaepe conjunctae (cf. *Aristot.* Anal. post. II. 10. p. 587; *Plut.* Quaest. Graec. 39. p. 399; *Aelian.* V. H. 4, 17; *Diog. Laert.* 8, 10; *Jambl.* V. p. 28) Platonicorum, maximeque Pythagoreorum scholis sint adscriptae: quapropter Xenophon jam atque Plutarchus, Pythagoreis fanaticam in philosophando rationem attribuerunt. Quantopere et Philo hoc studiorum genus adjuverit et in rem suam converterit, jam ex libris ejus vel obiter legendis facile intelligitur.

Judaeis ipsis religio gratior appareret et acceptior. Nunc isto interpretandi genere, quod Philo ampliori et uberiori scientiarum peritia, acriori ingenio callidius excogitavit et pluribus docuit, religioni judaicae nova et insolita lux est accensa. Etenim nulla, sive Orientalium, sive Aegyptiorum, sive Graecorum, dogmata reperiri poterant, quin, hac interpretatione admissa, in doctrinam religionis judaicae philosophicam potuissent introduci. Sacri igitur Judaeorum codicis argumentum, quod praeceptis et statutis, narrationibus, miraculis et vaticiniis continebatur, altiorem et sublimiorem sensum sic recondidit, quo penitus perspecto, tantum aberat, ut philosophorum placitis religio judaica esset postponenda, ut locum obtineret longe superiorem.